

I

PANDECTAE SOLATIONVM

H

ILLVSTRIS GYMNASII COBVRGENSIS
DIRECTOR ADIVNCTVS caeteriq. PROFESSORES
CIVIBVS SVIS

S. P.

In tanta malorum, quibus singuli, per interualla, vexantur mortales, mole, liberari equidem suo quam citissime onere nemo non cupit; sed cum id, per diuinae sapientiae rationes, tum, cum quisque vult, fieri non statim possit, *solatiis* tantisper labantem sustentare animum homines afflicti necesse habent. Sed causae appetendi solatia, et, si quidem monitor adsit, expromendi, tam crebrae existunt, vt, si quod aliud, frequentissimum sit poscendorum, reddendorumque, solationum inter homines, certe inter amicos, commercium. Nec tamen res semper succedit ex vtriusque, dantis nempe et accipientis, voto, sed tam abstrusa arte, ancipitique euentu, geritur, vt dolorem plerumque videas amicorum colloquiis exulcerari magis, quam leniri; multoque plures reperias consolatores *molestos*, vt appellat *Iobus XVI. 2.* quam *veros et commodos* Subleuauit autem istam hominum inertiam summum Numen, dum, vna cum *mediis* obtinendae *salutis*, per Prophetas, et Apostolos, amplissimum generi humano porrexit *solaminum apparatus*, vt, quos olim gaudii, omni expectatione maioris, participes redditurus est, his ipsum ad gaudia iter, quantum inter spinas licet, redderet venustum. Seruator hinc noster non solum ipse leuamenta dolorum copiose docuit, sed et supremum eorum dispensatorem, Spiritum S. PARACLETVM ostendit, et promisit; qui diuinam hanc Apostolos edoceret artem, perque horum scripta, ad finem vsque mundi, in fidelium animis ineffabili quadam, vt Deum decet, ratione exerceret, *Rom. VIII. 26.*

Vti

Vti enim libri sacri impulsu sunt scripti Spiritus Sancti, quem toties fere *consolatorem* appellat Seruator, quoties ad eius aduentum expectandum discipulos exhortatur: *Iob. XIV. 25. XV. 26. XVI. 7.* ita dubitare non licet, in Prophetarum, et Apostolorum, scriptis ea abunde contineri omnia, quae ad solatia, in omni rerum aduersarum genere, capessenda maxime sunt conducibilia. Et ipsa quidem rudior, nec ad id cognoscendum instituta, sacrarum paginarum lectio nihilominus docet, Spiritum, qui autores agitauit, non postremum sibi constitutum habuisse finem, vt lectoribus solatia non deessent: si vero doctrinis paulo magis imbutus, et rerum Philosophicarum accedat peritior, is plane perspicit, ad erigendas prostratas mentes inibi omnia ita conspirare, vt, si vniuersos Scripturae libros vt vnum spectes librum, hic PANDECTAS SOLATIORVM, vel *Systema*, efficere videatur. *Systema* nempe veritates vniuersales, easque ordine naturali copulatas, comprehendit. *Pandectas* autem voco corpus doctrinarum cuiuscunque generis ad idem subiectum spectantium.

Manifestum quippe est, quot tristitiae sunt genera, vel e varietate malorum, vel ex diuersa eorum magnitudine, oriunda, tot *solatorum* quaerendas, et constituendas, esse formas. Vt enim TRISTITIA est *sensus mali*; sic SOLATIVM est *deminutio* huius sensus ingrati, siue *tristitiae*. Et fit quidem, vt imminuto malo, ipse eius minuatur sensus: sed ista tamen tristitiae depulsio, *auxilii* magis nomine, quam *solatii* solet indicari. Quod si vero, *manente malo*, *sensus eius*, *alia quadam perceptione opposita*, imminuatur, id tandem est, quod SOLATII nomine vulgo compellatur. Sed *tristitiae* vti indolem, sic remedia, describere solent Philosophi, atque diligenter praecipere, vt is, qui vel suam velit, vel alterius, lenire tristitiam, aut malum ostendat vel nullum esse, vel certe non tantum, quantum reputat

putat

putat afflictus: aut vt commemoret bona, quae malo partim adhaereant iam iam, partim iusto sint tempore successura. Quae vt vt dicantur egregie, in magnis tamen calamitatibus, et curis, si nihil vltra praestes, non multum valere, vsus eos, quibus cum moestis commercia fuerunt, docuit. Nempe vt in omni fere alloquio praefamine quodam, et *captatione*, quam dicunt, *benevolentiae*, vtimur, vt id, quod audientem minus forte delectet, aut plane offendat, aequo tamen accipiat animo; ita, si cum hominibus vel vere, vel suo iudicio, miseris agas, eo magis *prologo* opus habes, quo certius est, nihil facile apud tristes proferri, quod non, quasi telo traiectione, indignentur. Is nempe *dolor*, qui vtrique argumentorum generi, quod ad tristitiam mitigandam vulgo commendatur, audiendo fauet, non nisi *mediocris*, et leuis, est: *gravior* ita commouet animum, vt hic nec orationem ferat, quae ad malum extenuandum tendit, nec vlla bonorum futurorum, et dissitorum, spe tangatur. Sic enim *Moses* seruiantibus durissimam seruitutem Israelitis libertatem annuncians non auditur, nempe prae *angustia*, et prae *seruitute dura*, *Exod. VI, 9*. Et, vt loqui piget tristes, sic alloquia pleraque indignantur.

Curae leues loquuntur: ingentes stupent. SEN. Hippol. 604.

Patet tamen certa via, qua id, quod Philosophi fieri praecipiunt, recte, et vtiliter fieri, quaque dolori sine repulsa obuiam ire, licet. Si nempe I. *ipsam mali imaginem vere describas*. Haec enim vna moerentibus suavis esse solet auditio: siquidem hic *suas* cogitationes, suamque vident expressam mentem. Id vero non qualicumque modo, sed *recte*, agendum est; vt non *alienum*, sed id ipsum, quod in quaestione est; nec *distorta* quadam *ratione*, sed *ad viuum*, describatur, et plane depingatur. Quae quantae artis res sit, non est, quod hic ostendatur.

II. Mul-

II Multum autem interest moerorem vix dum animo conceptum, seu *nouum*; et *antiquum*, seu *diu iam animo gestatum*. Dum nempe mens nostra saepius *mala* acriter cogitat, et partes in omnes, quod in omni longiori cogitatione fit, versat, ipsum malum nouam accipit formam: animusque tandem non tam *malum*, quale in se est, sed *se ipsum* funestis mali imaginibus plenum, intuetur. Hinc nouus veluti *sensus internus*; quem alienae a vero mentis statu sententiae non minus laedunt, quam iniectis solet vncis, et vnguibus, vulnerum dolor exacerbari. Si quis ex aduerso accedat, qui confusa mentis cogitata aptis, naturaeque consonis, explicet verbis, is, quasi opportunus interni sensus interpret, patienter, et lubentissime, audietur.

Accedit III. dolorem, solitudinemque, *e longitudine temporis*, et *diuturnitate*, varias induere formas; quas idoneis exprimere verbis, quanto plus artis requirit, eo magis anceps est negotium *apta* proferre leniendo dolori verba.

Ista autem omnia mentis humanae arcana, minus a Philosophis animaduersa, ita diligenter, et copiose, iisque expressa verbis, in scriptura Sacra reperias, vt nihil naturae nostrae fingi, cogitarique, possit magis appositum. Palam enim i. est, variam piorum hominum fortunam, malorum prosperitates, et supplicia, tot in codice sacro exemplis ideo demonstrari, vt quisque mali, cuius sensu cruciatur, expressam ibi reperiat imaginem; id quod, vt ostendimus, primus appropinquantis solatii gradus est. Cumque praeterea quisque, se vnum, peculiari quadam affligi ratione indignissime ferat, lector, tristitiae medelam in libris sacris quaerens, minus statim ardebit, simulac antiquos malorum conspexerit socios.

*Lenius luctus lacrymaeque mordent,
Turba quae fletu simili frequentat. SEN. Troa. 1009. 1010.*

2. Quo

2. Quo vero tendunt illa piorum virorum suspiria, et *questus*, quibus Psalmi, Prophetarum tabulae, omnesque libri sacri, sca- tent; quique nihil aliud sunt, quam *iudicia intuitiua sensu in- terno de statu animi collapsi formata*, aptissimisque formulis ex- pressa, quam eo? *vt*, qui vel minus ingenio prompti sunt, quam *vt* de suo statu iudicia formare, nedum ea eloqui, possint; qui- que nondum ex stupore colligere animum potuerunt, ad hunc alterum comparandi solatii gradum adducantur. 3. Quod ve- ro tanta tradatur copia sententiarum prope similium, id eo per- tinet, *vt*, quamcunque dolor, et cura, formam aut a *malorum diuersitate*, aut *temporis*, et *morae*, diuturnitate, aut reliquo, qui in hominibus varius esse solet, animi statu nanciscatur, vnus cuiusque tamen, *vt Pandectarum* nomen postulat, imago, et character, viuis extaret depictus coloribus. 4. Et eam tamen singularem esse adhibitam reperias artem, quod interni sensus *piorum* inprimis hominum legantur expositi, qui, altero in sua mala, altero in Deum, defixo mentis oculo, non acerbis, et ad desperationem inclinatas, sententias loquuntur, sed sensu, et conta- ctu, summi boni mitigatas, et quodam *odore solatii* iam adspersas.

Cum igitur quae ad instillanda mentibus solatia maxu- me pertinent, quamuis eo pertinere vulgo minime reputentur, tam abunde, et scite, in scriptura sint tradita; non est dubitan- dum, libros hos eius Spiritus impulsu esse scriptos, quem Paracle- ti nomine Apostolis promissum esse legimus. Is autem, praeter- quam quod in suis Pandectis, quicquid rationis praecepta exigunt, praestitit, cunctos amplius homines, qui in solatiis inueniendis, et porrigendis, suum posuere studium, longissime superauit. Quamquam etiam ex ipsis scripturae doctrinis, quibus fruimur, quales esse debeant, *vt* naturae hominum congruant, facilius in- telligamus; non fuit tamen in vllius hominis olim potestate po- situm, ea quae leniendo moerori inferuient, e doctrinis rationis, suo-

suo-

suoque indagare ingenio. Agnoscamus itaque diuinos esse libros, qui difficillimam artem ita explicant, vt eorum autores, nulla sequendo artis praecepta, artem totam exhauerint.

Exhaustam autem salutarem istam artem eo maiori fiducia asserimus, quo vtrumque diligentius agit scriptura; nempe et remedia doloris proponit; quod, tanquam notissimum, certissimumque, verbo saltem attingimus; et, quod difficillimum est, vt animus remedia non respuat, sed admittat, et appetat, eo modo, quo ostendimus, efficit. Deprehendimus enim 1. exempla calamitatum, et curarum, lectissima: 2. iudicia hominum interna de suis curis, et doloribus, aptissimis formulis descripta: 3. eaque ad omnes dolorum species, et formas, accommodata: 4. pro sententiis hominum falsis de suis malis, iudicia veriora: 5. promissiones futurorum bonorum. Quae doctrinae, si ad vilitates doctrinarum referantur species, partim ad *historicam cognitionem* pertinent, partim ad *uniuersalem*: partim *simplicem stimulum*, partim *sententiosum*, et *poëticum*, postulant: adeoque Systema quidem sensu latiori sumptum, sed non Systema veritatum uniuersalium, quod per eminentiam *Systema* vocatur, constituunt, et propterea *Pandectarum* nomine rectius ornantur.

Neque tamen cogitandum est, nihil, posteaquam literis haec consignata extant, superesse, quod Spiritus sanctus in cordibus agat fidelium; quoque munus suum paracleticum in afflictis grauiter exercent. Praeterquam enim quod hoc ipsum, quod Scriptura efficit, Spiritus sanctus agat; supersunt adhuc in solatii vel sensu, vel excitatione, *ἀλάληα* quaedam, Rom. VIII. 26. et *perceptiones*, quas Apostolus, etsi sint *subobscurae*, cum notis tamen verbis, perspicuaque ratione, explicare vellet, *suspiria* appel-

appellauit, haecque, quamuis sint *hominum, causae* tamen mouenti, et excitanti, ceu praecipuae, Spiritui nempe Sancto adscribit.

Quae omnia docent, has certe Scripturae partes *non esse voluntate hominum prolatas*; quod Petrus II. Ep. I. 21. de vniuersa scriptura pronunciat; iisdemque verbis perspicuam notam proponit, qua falsas, et spurias, reuelationes a vera, et genuina, coelesti veritate distinguere possumus. Cum enim falsa reuelatio a voluntate hominum proficiscatur, non possunt non in ea voluntatis humanae, corruptae nempe, & ab intellectu non sano male excitatae, indicia apparere. Id quod nosse cum ad detegendas falsas Prophetias, vindicandamque Spiritus sancti, qui Prophetas, et Apostolos, agitauit, gloriam inprimis pertineat; ab huius diei sanctitate minime alienum est, quod Vester, CIVES, Commilito diligentiae, omnisque virtutis, laude conspicuus:

MARTINVS SEBASTIANVS MVLLER

Gleisena Coburgensis,

hodie, a sacris Mauritanis, orationem de Notione falsae reuelationis Petrina recitabit: cui audiendae si partem eius temporis, quod totum sacris meditationibus destinatum est, tribuetis, et quod Vestri est officii, et humanitatis, in hominem Vobis percharum, documentum praestabitis, vnoque impleto officio reliquis, quae temporis ratio postulat, obeundis alacriores Vosmet ipsos reddetis, iisque, qui vestra delectantur virtute, demonstrabitis. P. P. I. Fer. Pentecost.

clolcccxlV.

Coburgi, typis GEORGII OTTONIS, Typogr. Ducal.